cipere speramus. malorum pondus animum in desperatione non deprimit. quia hunc ad spem memoria bonorum leuat. Si itaque fratres karissimi et praecepta dominica et praecessorum exempla gradiamur. ut nos nec prosperitas eleuet nec aduersitas frangat. habere nos ante omnipotentis dei oculos palmas hinc inde monstramus. Letemur ergo in eius adiutorio. qui in suis nobis sequacibus omnia quae praecepit ostendit. redemptor mundi qui uiuit et regnat in unitate spiritus sancti per omnia secula seculorum. AMEN.

EXPLICIT OMELIA XVIII. INCIPIT XVIIII.

PROPHETE VERBA QUAE LARGIENTE DOMINO HODIE CARITATI uestrae loquenda sunt. lectione magis indigent quam expositione. Ita enim in tribus portis interioribus replicantur. quae secundo iam uel tercio de exterioribus dicta sunt. pauca uero in earum descriptione permutantur. Unde necesse est ea nos quae iam dicta sunt legendo transcurrere. ut quae necdum dicta sunt. licentius possimus enodare. Itaque nunc dicitur. Et porta atrii interioris. in uia australi. et mensus est a porta usque ad portam in uia australi. centum cubitos. Et introduxit me in atrium interius ad portam australem. et mensus est portam iuxta mensuras superiores. Thalamum eius. frontem eius. et uestibulum eius. isdem mensuris. et fenestras eius. et uestibulum eius in circuitu. l cubitos longitudinis. et latitudinis xxv cubitos. et uestibulum per gyrum. Cuncta haec superius dicta. atque exposita esse meministis. nec dum uero est dictum. quod de eodem uestibulo subditur. Longitudine xxv cubitorum. et latitudine v cubitorum. et uestibulum eius ad atrium exterius. atque iterum hoc quod iam superius dictum fuerat replicat cum dicit. Et palmae eius in fronte. Et statim quod adhuc dictum non fuerat subdit. Et viii gradus erant quibus ascendebatur per eam. Hoc quoque quod de australi porta scriptum est. de orientali quoque porta in eodem ordine narrat. Hoc quoque

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK HEIDELBERG
STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0333